



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CCLXXI. Der Papst Urban V. giebt dem Domcapitel auf, einen Verstoßenen wieder aufzunehmen, am 30. April 1364.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

ecclesie Brandenburgensis canonicis nec non strenuis ac famosis viris, dominis Henningo de Luderitz, milite, Johanne Vogelfak et Gerardo Koten, famulis, ad premissa vocatis. Datum et actum anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. LXIII<sup>o</sup>. sexta die mensis Septembris, nostro sub sigillo presentibus appenso in signum evidens premissorum.

Nach der Copie im ältern Copiaro.

**CCLXX.** Des Bischofs Dietrich Verordnung hinsichtlich der Erhebung der Zehnten in seiner Diöcese, vom 30. Mai 1363.

Thidericus, dei gratia Brandenburgensis ecclesie episcopus universis et singulis ecclesiarum rectoribus nostre diocesis sinceram in domino charitatem. Noveritis, quod hodie jus divinum et equitatem naturalem imitantes cum concordii consilio et consensu prelatorum et presbyterorum in Synodo nobiscum presentium statuimus, quod, ubicunque infra parrochiam aliquam nostre diocesis plebanus habet tricesimam carniurn et alius cujuscunque status laicus habet aliam partem decime carniurn, de cetero plebanus et laicus ille simul debeat colligere totam decimam, et de illa collecta plebanus debeat recipere tertiam partem pro XXX<sup>ma</sup>. sua. Etiam ubicunque inveniuntur sex tantum capita decimandarum carniurn seu animalium, plebanus et alius decimam habens possit inde caput unum recipere et supplere precium equum secundum consuetudinem illorum vel vicinorum locorum illis, a quibus decime carniurn seu animalium sunt recepte. Item quod, ubicunque infra parrochiam aliquam nostre diocesis plebanus habet decimam vel tricesimam predialem, videlicet frumentorum et similium fructuum, domini vel coloni prediorum seu mansorum aliquos manipulos frumentorum et similium collectos non separent nec deportent prius, quam plebanus habeat decimam seu tricesimam manipulorum hujus sibi debitam designatam. Item quod parrochiani oblationes in festis principalibus videlicet nativitate Christi, pasche, penthecostis, et assumptionis beate Marie virginis gloriose, nec non dedicationis ecclesie sue et sancti patroni sui ad altare deo offerant vel aliter inde plebano suo satisfaciunt, quemadmodum voluerint animarum suarum pericula devitare. Quocirca discretioni vestre mandamus, quatenus hec in ecclesiis vestris vobis commissis diligenter intimetis et faciatis etiam per fratres ordinum mendicantium in sermonibus eorum et confessionibus publicari. Datum Seyeser, anno domini M. CCC. LXIII. die penultima mensis Maji nostro sub secreto.

Nach einer Copie im ältern Copiaro.

**CCLXXI.** Der Papp Urban V. giebt dem Domcapitel auf, einen Verstorbenen wieder aufzunehmen, am 30. April 1364.

Urbanus episcopus, servus servorum dei, filiis preposito et capitulo ecclesie Brandenburgensis ordinis sancti Augustini, salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius Simon, lator presentium, canonicus vester, quem a vestra ecclesia, sicut asserit, rationabili ejectionis absque causa ad eandem desideret ecclesiam cum humilitate redire, universitatem vestram rogamus et hor-

tamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus ipsum ad vos humiliter redeuntem ob reverentiam apostolice sedis et nostram recipiatis, salva ordinis disciplina, et fraterna in domino caritate tractetis. Datum apud urbem veterem, II. Kal. Maji, pontificatus nostri anno secundo.

Nach einer Copie im Copialbuche.

**CCLXXII.** Bischof Dietrich von Brandenburg verpflichtet sich dem Erzbischofe von Magdeburg die Provinzialstatuten zu halten, so wie von den Städten Berlin und Cöln wegen der Hinrichtung des Priesters Conrad Schütz keine Buße ohne erzbischöfliche Genehmigung anzunehmen, am 15. Aug. 1364.

Noverint universi et singuli tenorem presentium inspecturi, Quod nos Theodericus, Dei gratia Brandenburgensis Ecclesie Episcopus, ad defendendum, tenendum et conservandum statuta provincialia edita et promulgata in sacris conciliis Provincie Magdeburgensis cooperari volumus auxilio, consilio, et favore venerabili in Christo Patri et Domino nostro Theoderico, Sancte Magdeburgensis Ecclesie Archiepiscopo et Successoribus ipsius ac Ecclesie sue, que in sua forma et vigore irrefragabilia maneant et illesa, promittentes ex certa scientia eidem Patri et Domino nostro Archiepiscopo Magdeburgensi, quod per nos vel alium nullam emendam et compositionem recipere volumus nec debemus a Consulibus, Universitate et opidanis in antiqva Berlin Brandemb. dioceos, in et super causa interfectionis Conradi dicti Schüttzen, clerici et Vicarii Ecclesie Magdeburg. supra dicte, quem aucto nefario et Diabolo instigante nuper ultimo supplicio tradiderunt, ipsum in ipsorum scandalum et jacturam non modicam decollando, nisi assit ejusdem Patris et Domini nostri voluntas libera et consensus. In testimonium premisorum sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Magdeburgi, anno Domini M. CCCLXIV. In die assumptionis St. Marie virginis.

Nach Dietrich Magdeburgischem Copialbuche mspt. S. 284.

**CCLXXIII.** Markgraf Otto bestätigt die Privilegien des Domcapitels, am 28. Juni 1365.

Noverint universi paginam presentium inspecturi, quod nos, Otto, dei gratia Brandenburgensis et Lusatie marchio etc. ex certa scientia omnes donationes, libertates, litteras et privilegia omnia et singula, honorabilibus et religiosis viris preposito, priori et capitulo ecclesie Brandenburgensis indultas et indulta ab illustribus principibus, marchionibus Brandenburg. predecessoribus nostris et precipue a fratribus nostris karissimis, domino Ludwico seniore et domino Ludwico Romano divine recordationis ratificamus, approbamus et tenore presentis littere confirmamus, volentes eas et ea sui roboris firmitate jugiter permanere, recipientesque predictos prepositum, priorem et capitulum presentibus ad nostram gratiam et protectionem. Nulli ergo hominum etc. In cujus rei testimonium etc. presentibus nobili viro Heinricho comite in Schwartzburg, Martino de Kunzendorf, curie nostre magistro, Petro de Bredow, militibus, et Heinricho de Schulemburg